

accumulata malitia in actu, sed sufficit consummata, et eadem.

LXV. Secundo est necessarium confiteri executionem peccati externam, quia licet secundum se, et ex præcisa vi exterioritatis non addat novam malitiam, aut bonitatem, quia non addit, nec multiplicat rationem voluntarii quantum est de se potest tamen augere et conducere ad multiplicationem voluntatis, ut S. Thomas docet in articulo quarto hujus quæstionis xx, quia solet communiter intendi, et augeri voluntas ex ipsa executione, eo quod ad vincendas difficultates, et consummandum ipsum opus, oportet animum adjicere, et vehementiorem habere determinationem, vel etiam de novo actum voluntatis intermissum multiplicare. Unde cum possit ipsa executio conducere ad voluntatis multiplicationem, vel intensiorem, et difficile sit judicare, an sine tali executione æqualis sit voluntas operandi, ita quod per executionem non crescat, oportet iudicium hoc ad confessionem pertinere, nec potest aliquis solum speculativo, et quasi metaphysico iudicio esse contentus, et in eis terminis in quibus speculative disputamus, an externus actus ex sola ratione exterioritatis stante æquali voluntate augere malitiam, etiam in praxi judicare, quia omnino incertum est; an stet æqualis voluntas non secuto effectu; an vero si ponatur effectus, augeatur voluntas, vel multiplicetur: et ideo oportet semper explicare executionem externam, quia licet stante æquali voluntate, ex præcisa exterioritate non augeat malitiam, potest de se augere intensive, vel extensive, aut multiplicare actus voluntatis.

LXVI. Tertio oportet explicare in confessione exteriorem actum, quia est firmum, et evidens indicium efficaciæ voluntatis, quando ab ipso-

met operante fit, quia ex effectu ipso cognoscitur efficax voluntas, et perseverantia, vel continuatio in illo. Nec potest humano modo ita clare constare de efficaciâ, et perseverantia voluntatis in malo, nisi ipso effectu secuto, et executione externa. Si autem ab ipso non fit, sed ab alio inducitur, ut quando mulieri inferitur stuprum, oportet confiteri an permiserit sic stuprari quoad executionem externam, quia ex illa externa executione constat efficaciter consensisse. Et generaliter, quia istæ sensibiles actiones magis nos movent, oportet eas confiteri, ut inde possit melius cognosci interior ipsa malitia voluntatis, quæ usque ad operationem externam se extendit, vel in ea periclitatur, et sic medicina adhiberi debet.

LXVII. Quarto oportet externam actionem confiteri propter damnum vel alteri tertio, vel sibi ipsi consecutum. Respectu tertii ut in furto, in homicidio, in adulterio, cæterisque aliis proximum tangentibus: respectu sui propter majorem adhesionem ad rem semel expertam, et consummatam opere, et difficiliorem medicinam animæ, quam si solum intra voluntatem contineatur. Confessarius autem non solum debet judicare de peccatorum malitia, et diversitate, sed etiam medicinam adhibere eidem malitiæ alio atque alio modo dispositæ, et perpetuatæ, consummatæ vel non consummatæ.

LXVIII. Ad secundum inconveniens dicitur, quod stante æquali voluntate in eo qui vult pati martyrismum, et in eo qui de facto patitur, æquale meritum essenziale dabitur in utroque, non tamen æquale accidentaliter, et extensive, quia ille qui de facto patitur, habebit aureolam, quam non habet, qui solum vult pati, propter difficultates, et dolores sensibiles quibus abundat, et quos

superat, qui de facto patitur. Eis autem correspondet aureola ut præmium accidentale. Sed tamen difficile est, quod stet æqualis voluntas in eo, qui patitur de facto, et qui non patitur, quia ex ipsa operis difficultate, oportet quod ad superandam illam animus augeatur, et intendatur, vel multiplicetur actus. Si tamen admittatur casus, quod stet æqualis voluntas, æquale erit meritum essenziale, quod charitati correspondet. Non est autem inconveniens quod actui externo ut externo correspondeat aliquod præmium accidentale, quale est aureola, licet non habeat distinctam bonitatem ab interno, quia sufficit quod habeat illius participationem, et extensionem, quæ est quasi accidens illius.

LXIX. Et idem respondetur ad alia exempla allata, in quibus licet stante voluntate æquali correspondeat idem præmium essenziale, non tamen alii effectus, qui sunt alligati exterioribus actibus, et non interioribus ut suffragia, et alia quæ conferuntur nobis ex opere operato, aut etiam satisfactiones, quia omnia ista externis actibus alligata sunt, nec sequuntur ad bonitatem, vel malitiam internam, sed ut explicatur exterioribus actibus: sicut gratia ex opere operato datur per susceptionem externam sacramentorum, suffragia consequuntur ad opera exterius executâ, et satisfactio ad pœnalitatem operum exteriorum, in quibus afflictio corporalis est.

LXX. Ad illum locum Bernardi dicitur in primis non constare illum errorem fuisse Abailardi, quia nec D. Bernardus ejus meminit nec Alphonsus de Castro, qui diligenter hos errores numeravit, cum Abailardo tribuit. Sed quidquid de hoc sit, certe nec D. Thomas nec nos dicimus solam voluntatem remune-

rari, sed etiam opera exteriora, sed dicimus id esse quatenus voluntaria sunt, et voluntati subsunt, ab eaque procedunt, non tamen ratione exterioritatis addunt specialem bonitatem, seu malitiam ultra eam, quam habent ratione voluntatis. Et non negamus actu exteriori hominem fieri priorem vel meliorem, sed quatenus actus ille voluntarius est, non ratione exterioritatis præcise; supposita tamen ratione voluntarii fit homo pejor ratione exterioris actus consummative, et extensive in eadem malitia, non accumulative addendo aliam distinctam. Et eadem ratione per leges positivas reipublicæ punitur actus externus, quia malus est, et consummativus malitiæ, non quia distinctam malitiam ad actum internum addat, sed quia eandem consummat; sufficit autem ut puniatur quod malus sit, non autem requiritur quod distincta malitia, et superaddita sit malus: cum autem lex humana non puniat actum internum. Hoc ad materiam de legibus pertinet, quia scilicet lex humana non dirigit nisi ea, quæ nata sunt cognosci ab homine, et in convictum humanum venire, eique esse nociva, vel inutilia, quod solum in externis actibus reperitur.

LXXI. Ultimo arguitur: Nam potest aliquis saltem per ignorantiam existimare quod actus exterior est malus, non autem interior, verbi gratia quod adulterium, vel homicidium est malum, non autem voluntas adulterandi, vel occidendi, ut fortasse multi apud Judæos putabant, ut colligitur ex Matthæi quinto. Ergo in tali casu majus malum erit in actu exteriori, quam in interiori, nam pro interiori saltem illa ignorantia aliquo modo excusat, ab exteriori autem nulla excusatio datur, ergo in tali casu augetur malitia in actu exteriori. Quod amplius

urgetur in eo qui sequitur opinionem Scoti, et tenet quod actus exterior auget malitiam, tunc enim operando ex tali dictamine pejus operabitur, si quidem cum conscientia majoris malitiæ illam exercet; ergo majorem malitiam habebit tunc actus externus, quam solus internus.

LXXII. Et confirmatur, quia aliquando actus externus executus habet malitiam peccati mortalis, cum actus internus, vel plures interni solum habeant venialem, ex quibus tamen sequitur illud mortale, verbi gratia si quis habeat plures actus internos volendi furari, quorum quilibet solum sit de materia parva, et a diversis dominis, omnes illi actus sunt peccata venialia: si autem a diversis dominis de facto furaretur illas parvas materias, in omnibus simul, et collectim peccaret mortaliter et teneretur ad restitutionem; plus ergo malitiæ potest habere actus externus, quam internus. Potest etiam continuari actus exterior cessante interiori, ut cum quis incipit attente recitare horas, et postea cessat interior attentio, et continuatur exterior, ille actus exterior habet bonitatem sine interiori, ergo præter bonitatem interioris actus, aliquid bonitatis habet exterior. Et contra enim sola voluntas interior sine exteriori non sufficit totam malitiam habere; si enim vellet quis tantum demereri quantum omnes damnati, non demeretur tantum de facto, si non operaretur omnia illorum peccata. Et si quis intenderet aliquod bonum non tantum merebitur sicut ille, qui eligit de facto, præsertim si eligat medium laboriosum, et difficile; ergo semper actus exterior addit ad malitiam, vel bonitatem interioris.

LXXIII. Respondetur quod in casu illius ignorantiae (si tamen illa excusari potest, cum etiam de internis actibus dentur præcepta in decalo-

go, scilicet de non concupiscendo, et eadem ratio est de aliis) actus externus non potest judicari malus nisi ut voluntarius, atque adeo ut subest actui interiori a quo procedit. Et respectu hujus a quo procedit non potest esse diversa malitia in eo et in actu externo ab eo procedente: nec ignorantia illa potest facere quod malitia sit diversa, quia non potest mutare naturas rerum. Solum ergo poterit esse ignorantia respectu actus interni sistentis in se, et non procedentis ad actum, judicando illum non esse malum, sed tunc solum malum esse quando procedit ad actum externum. Et in tali casu solum sequitur quod actus externus simul cum voluntate interiori a qua procedit erit peior, quam solus actus internus sistens in se, et nolens ad externum actum procedere. Et in hoc non est inconveniens quod sit peior actus ille externus, quia tunc non est actus externus pure, sed cum inclusione ejus interni a quo procedit, qui comparatus cum illo alio interno sistente in se, et nolente ad actum externum procedere non est mirum quod peior sit, quia ibi intervenit duplex actus internus unus efficax cum actu externo, alter inefficax nolens procedere ad externum. Comparatio autem debet fieri inter actum externum et eum internum a quo procedit, non cum eo interno a quo non procedit.

LXXIV. Sed quid si aliquis existimet, quod actus internus efficax, et volens procedere ad actum non sit malus, aut non ita malus, sicut ille qui de facto procedit, et habet externum sibi adjunctum? Et tunc si habeat efficacem voluntatem, et ex aliquo impedimento non exequatur actum externum, ille actus internus minoris malitiæ erit quam externus, augebitque externus malitiam interioris. Respondetur quod in tali casu non admittitur ignorantia, quia

si aliquis scit quod actus externus est malus, et paratam habet voluntatem, et in procinctu ad faciendum, quomodo potest ignorare quod illa voluntas sit mala, si cognoscit quod ejus objectum est malum, et vult illud facere? Quod si putet esse minoris malitiæ, augebitque illam ex actu externo adjuncto, tunc erit idem casus, atque in secunda parte argumenti, de eo qui operatur sequendo opinionem Scoti, quod auget externus actus, additque malitiam ad interiorem.

LXXV. Et tunc respondemus, quod etiam hoc amisso nihil contra nos, quia quod sit tunc majus peccatum ille actus externus, non est ex ipsa natura rei, et per se, et ab intrinseco, sed per accidens ex conscientia erronea sic judicantis; sicut etiam potest aliquis ex ignorantia, et conscientia erronea putare quod mendacium si majus peccatum quam adulterium, et tunc si dixerit mendacium plus peccabit, quam si mœchetur non ex natura rei, et per se, sed ex conscientia erronea, et per accidens, manente semper vera sententia, quod mendacium est minus peccatum, quam adulterium; ita manet semper vera sententia, quod actus externus non addit novam malitiam per se loquendo ad actum internum, et tamen per accidens ex aliqua ignorantia, vel conscientia erronea, oppositum accidere potest. Et tamen etiam dum sic accidit, tota illa major malitia actus externi nascitur ab interno, quo vult illum actum externum, ut magis malum quam internum tantum. Et respectu hujus actus interni sic volentis externum non addit supra illum actus externus aliquam malitiam, sed totam quam habet in quantum voluntarius est ex actu interno voluntatis a quo procedit, et respectu hujus interni non addit ille externus actus ut externus novam

malitiam, et hoc solum intendimus.

LXXVI. Ad confirmationem respondetur negando antecedens, sed diximus quod nunquam stat actum exterius esse peccatum mortale, et actus interiores a quibus illa executio mortalis procedit, esse veniales. Nam qui furatur de facto plura minuta, in ultimo quod furatur, et in quo pervenit ad quantitatem notabilem, mutat dictamen internum, eo quod videt, aut tenetur advertere quod in illo ultimo furto licet secundum se parvo, tamen comparative ad præcedentia facit magnum, et notabile, eo quod damnum tertii jam incipit esse considerabile. Et ideo talis actus internus quo vult exequi illud furtum non solum ut parvum, sed ut ultimum comparatione ad præcedentia furta, et cum illis constituens considerabile damnum, est voluntas mala moraliter, et non solum venialiter.

LXXVII. Cæterum quando habet plures actus internos circa furta parva, et nullum illorum respicit tamquam ultimum in damnificando, ultima voluntas furandi rem parvam non efficitur damnificativa notabiliter, quia cum non præcesserit damnum aliquod ex præteritis voluntatibus furandi levia, neque ista ultima voluntas apprehenditur ut ultimo damnificativa, et sic non fit mortalis, sed remanet venialis. Et cum illa non influat in actum externum mortalem nunquam sequitur quod possit dari externus actus peccati mortalis sine aliquo interno, qui etiam peccatum mortale sit, scilicet ille a quo talis actus externus procedit, ille autem internus a quo non procedit, nec est cum intentione procedendi, quod sit venialis, vel mortalis nihil interest, quia non conducit.

LXXVIII. Ad id quod additur posse continuari actum malum cessante interiori, distinguo; cessante inte-

riori formaliter transeat; cessante interiori formaliter, vel virtualiter, nego; nam etiam si attentio cesset, vel intentio, manet tamen denominatio voluntatis ad id prosequendum, quamdiu non retractatur; et inde sumitur malitia, vel bonitas in actu exteriori. Ad id vero quod dicitur non sufficere actum interiorem sine exteriori totam malitiam habere, dicimus non sufficere illum actum interiorem si non sit efficax neque adæquatus totaliter actui exteriori, secus vero si sit efficax, et adæquatus, sicut in exemplo argumenti, qui vult tantum demereri quantum omnes damnati, non efficaciter id vult, neque adæquate, quia non apprehendit omnia illa peccata distincte, et in particulari, ita ut in omnia velit prorumpere, quia multa ex illis sunt opposita et contraria, nec possunt simul ab uno homine fieri; ergo neque efficaciter illa omnia velle potest. Denique ad id quod dicitur de eo qui eligit, et qui intendit, dico quod in isto multiplicatur actus voluntatis essentielles, et interni, quorum quilibet est capax distinctæ bonitatis et malitiæ, quia habet distinctam rationem voluntarii interni, et ideo malitiæ multiplicatur. Secus est de actu externo, qui totaliter exterior est, quia non habet distinctam rationem voluntarii ab interno; ergo nec distinctam malitiam.

DISPUTATIO XII.

DE CONSCIENTIA.

ARTICULUS I.

Quid, quotuplex sit conscientia.

I. Conscientia, ut docet S. Thomas 1 p. quæst. LXXIX, art. XIII: « Est

judicium, seu actus intellectus, quo aliquis applicat suam scientiam practicam, seu dictamen rationis ad aliquid agendum. » In quo potest esse difficultas; tum in eo quod dicitur conscientiam pertinere ad intellectum; tum in eo quod dicitur esse actum intellectus, non habitum, neque potentiam ipsam. Utrumque difficultate non caret.

II. Nam in primis aliqui sentiunt conscientiam pertinere ad voluntatem, non ad intellectum. Et duci possunt; tum, quia conscientia versatur circa bonum, vel malum, ipsaque conscientia dicitur aliquando bona, aliquando mala, ut sumitur ex illo I ad Timoth. I: *De corde puro, et conscientia bona*, bonum autem, et malum proprie ad voluntatem pertinent; tum, quia conscientia dicitur applicatio, seu actus applicans scientiam practicam ad aliquid agendum; actus autem applicativus est actus intellectus, quia est actus qui dicitur usus, qui est actus voluntatis, ut constat ex D. Thoma supra quæstione XVI. Alii etiam tenent quod conscientia pertineat ad utramque potentiam tam intellectus, quam voluntatis; ad voluntatem quidem quia est applicatio, seu usus; ad intellectum vero, quia iste usus est usus scientiæ, et cognitionis, seu dictaminis.

III. Secundo quantum ad id quod dicitur conscientiam esse actum, multi sentiunt habitum esse (nam quod potentia ipsa non sit constat apud omnes, quia conscientia potest deponi, et assumi, potentia vero deponi non potest.) Et ducuntur ex eo quod conscientia etiam nobis actualiter non operantibus, sed etiam dormientibus, dicitur in nobis permanere, ergo non potest esse actus, sed habitus.

IV. Et confirmatur, quia conscientia dicitur habere aliquos actus ut accusare, testificare, ligare, ab-

solvere, etc. sed unus actus non habet alium actum, sed habitus est, qui habet actum, vel potentia; ergo cum conscientia non sit potentia, sequitur quod sit habitus.

V. Et secundo confirmatur, quia si conscientia esset actus, seu iudicium actuale, nunquam posset quis operari conscientiam, quia contra actuale iudicium non potest quis operari, nisi habeat contrarium iudicium, non autem possunt esse duo iudicia contraria actu simul in subjecto; ergo vel conscientia non est actuale iudicium, vel non poterit homo operari contra conscientiam.

VI. Nihilominus sententia D. Thomæ certa est, et communiter tenetur a doctoribus, tam in ejus schola super prædictum locum 1 p. et in hac secunda, secundæ, quæst. XIX, quam extra ejus scholam. Et quod conscientia pertineat formaliter ad intellectum constat, quia conscientia est dictamen practicum, quo regulatur quis in suis actionibus, constat enim non posse quempiam operari moraliter nisi aliquo dictamine ductus, quod dictamen non potest operari, nisi applicetur in particulari hic et nunc ad opus faciendum, ita quod non solum iudicet in communi quod oportet bene operari, sed etiam in particulari, quod prout hic et nunc conveniens est hoc facere, et quia fit ista applicatio seu comparatio principiorum universalium ad particularia dicitur conscientia, quasi cum alio scientia, hoc enim est dictamen applicatum in particulari ad agendum. Hoc ergo dictamen appellamus conscientiam, et tale dictamen pertinere ad intellectum non potest esse dubium, quia dictamen est iudicium quod formamus de agendis, et iudicium actus intellectus est. Sic ergo constat conscientiam pertinere ad intellectum, quia con-

scientia est dictamen applicatum in particulari ad agendum, et dictamen est quoddam iudicium.

VII. Ex effectibus quoque, et quasi a posteriori constat conscientiam pertinere ad intellectum, quia effectus illius solum in intellectu inveniuntur, et actus ejus sunt. Nam conscientia dicitur testificari ad Roman. IX: *Testimonium mihi perhibente conscientia mea*: et II ad Corinth. I: *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ*. Dicitur etiam conscientia scire, aut esse aliquid in conscientia, in cognitione, Ecclesiastici VII: *Scit enim conscientia tua, quod crebro maledixeris aliis*: Genes. XLIII: *Non est in nostra conscientia quis hoc fecerit*. Dicitur etiam conscientia iudicare, primæ ad Corinth. X: *Ut quid libertas mea iudicatur ab aliena conscientia?* Denique conscientia dicitur errare, accusare, excusare, ligare, reprehendere. Quæ omnes actiones sunt intellectivæ, et ad intellectum pertinent; ergo conscientia id quod est, intellectus est. Quæ tamen actiones quia practicæ sunt etiam recipiunt denominationem boni a suo effectu, seu fine ad quem dirigunt, quia ordinant, et dirigunt ad bonum.

VIII. Quod vero sit actus, et non habitus, vel potentia deducitur ex dictis, tum a priori, tum a posteriori. A priori, quod conscientia est quoddam dictamen, seu iudicium de agendis in particulari, iudicium autem est actus, non habitus, vel potentia, et dictamen apprehensio est intellectus, et propositio, qua proponitur quid agendum sit regulative; ergo conscientia est actus, seu actuale iudicium: a posteriori vero deducitur, quia conscientia non potest esse habitus naturalis, neque acquisitus, neque infusus: ergo nullus. Non naturalis, quia habitus naturalis ut syndæresis non